



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118278**

§. 48. Bonifacius IX Papa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

**Sæcul. XIV.** nionem sub utraque specie accepit. Ter-  
**A. C. 1389.** tio Novembris Clemens rogatu Regis Ca-  
 roli Cardinalem Presbyterum appellavit  
 Joannem Talaruæum ab anno 1375 Lug-  
 dunensem Archiepiscopum, jam senem,  
 sed præditum virtute, doctrina, & studio  
 tuendi jura Ecclesiæ suæ. Regem remi-  
 sit cumulatam donis, & arbitrio ejus per-  
 misit quatuor episcopatus, ac septingenta  
 quinquaginta, quæ vellet, beneficia, pau-  
 peribus Galliæ Clericis conferenda. Quæ  
 res querimonias graves expressit littera-  
 rum studiosis ita se spe sua orbatos cer-  
 nentibus.

*Duchesne*  
*Card. Fr. to.*  
*I. p. 706.*  
*Labour. to.*  
*I. p. 178.*  
*Rad. de Rivo*  
*sap. ult.*

## §. XLVIII.

*Bonifacius IX Papa.*

*Th. Niem.*  
*l. 2. c. 6.*

**C**ardinales Urbani VI tum Romæ jam  
 antea præsentis, tum propinquis ex  
 provinciis in conclave congregati qua-  
 tuordecim numero 2 Nov. in Papam co-  
 optarunt Petrum seu Perrinum Tomacel-  
 lum sub nomine Cardinalis Neapolitani  
 cognitum; qui voluit dici Bonifacius IX.  
 Promulgata electione statim de more por-  
 tatus est ad aram S. Petri: atque in pa-  
 latium rediens sibi gratulantibus ajebat:  
 Vestrum gaudium est meum. Die S. Mar-  
 tini undecimo Novembris coronatus, cum  
 transfret urbem Lateranensem basilicam  
 petens, ob magnam, quæ supervenit, plu-  
 viam

viam parvum comitatum habuit: sed nova dignitas eum sua solabatur.

Sæcul. XIV.  
A. C. 1389.

Neapolim patriam, quadraginta quinque circiter ætatis annos, concinnam corporis magnitudinem, ac decoram faciem habebat. Loquebatur recte, grammatica non leviter tinctus: sed nec scribere sciebat, nec canere: in stylo Romanæ curiæ, velut si nunquam in ea fuisset, atque in negotiis tiro & rudis, nec ea, quæ rogabatur, intelligens libellis supplicibus sine delectu nomen subscribebat suum, ac de conclusionibus causidicorum in senatu sacro confuse pronunciabat.

§. XLIX.

*Novi Cardinales.*

In principio sui pontificatus per litteras Apostolicas confirmavit tria nova instituta Urbani VI, quorum supra meminimus. Die sabbati 18 Dec. Cardinales quatuor creavit. Primus erat Henricus Minutolus Neapolis Archiepiscopus e nobilissima urbis familia. Nicolao Zanasio, qui 25 Aug. eodem anno 1389 obierat, nuperrime successit, sed Neapolim per decem annos, quibus ei sacris in rebus præerat, nunquam venit. Renunciatus est Cardinalis Presbyter de S. Anastasia, ut Bonifacius ipse fuerat. Secundus, Bartholomæus Olearius Patavinus ex Or-

Gobel. pag.  
269.